





15  
Pr. 12. num. 24. #  
DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA,

DE

# AFFIRMATIONE CONTRACTUUM UNILATERALIUM,

Qvam.

In Academia Gryphiswaldensi,

& qvidem.

In Auditorio Majori,

Die Augusti, Anno 1708.

Sub PRÆSIDIO


D. JOHANNIS SCHACKII,

Professoris Juris Ordinarii, Consistorii Ecclesiastici  
Assessoris & h. t. DECANI,

publicè defendet.

JOHANNES HENRICUS WINEKE,

Levino-Mecklenburgicus.



GYPHISWALDIAE,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Acad. Typogr.



VIRO  
Plurimum Reverendo, Clarissimo,  
nec non Doctissimo,  
**DOMINO**  
**HENRICO**  
**WINEKEN,**

Pastori Ecclesiae Levinensis vigi-  
lantissimo, & meritissimo;  
Parenti suo, omni honoris  
& amoris cultu ad cineres usque  
colendo,

*Disputationem hanc Juridicam.*

*dicat, dedicat*  
Filius obsequiosissimus.

DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA,

De

# Affirmatione Contractuum unilateralium.

I.



Riginem vocis *Contractus*  
considerari, dicimus, illum deduci  
à *con.* & *traho*; qvia pacifcendo diversæ  
sententiae in idem contrahuntur placitum,  
& pacifcentes ad unum perdu-  
cuntur consensum. l. 8. C. d. *rescind. vend.*

II.

*Contractus* nomen in Jure nostro, variè accipitur.  
Nam (1) sumitur strictè vid. l. 19. ff. d. V. S. ubi hoc voca-  
bulum actis & gestis opponitur. (2) *Propriè*; qvate-  
nus opponitur qvasi contractibus. vid. §. 2. Inst. d. obligat.  
l. 1. in pr. ff. d. O. & A. pr. & §. 1. Inst. d. obligat. qvæ  
qvæ ex cont. (3) *Lati*; ut etiam qvæsi contractus com-  
prehendat; ut in §. 1. Inst. d. act. l. 1. §. 6. ff. d. Consil.  
pec. l. 16. ff. d. neg. gest. l. 19. ff. d. duob. Reis stip. l. 23. ff. d.  
R. f. l. 49. ff. d. Oblig. & Act. l. ult. ff. ex qvib. Caus. pign.  
tac. contr. l. 3. §. vet. l. 4. ff. qvib. ex Caus. in poss. (4)  
*Latius*, ut pacta qvoqve includat legitima l. 17. in pr. C.  
d. fid. Instrum. l. 8. in pr. C. d. bon. qvæ lib. l. 20. ff. be Judic.  
(5) *Latisima* est ejus significatio, qvando hac voce omnes  
actus denotamus, qui obligationem qvomodocunque  
inducunt; uti matrimonium, in l. fin. C. de Repud. testa-  
mentum in Cap. 28. X. d. test.

A

III. Deinde

## III.

Deinde & delicta in Jure nostro contractus dicuntur. l. 52. ff. d. re judic. Hinc passim delicta contrahuntur. Vid. l. fin. C. ad L. Jul. Majest. l. 15. & l. 31. §. 4. ff. d. donat. l. 16. §. 1. ff. de bis, qvæ ut indign. aufer. l. 2. §. 2. ff. d. Cond. ob turp. caus. l. 3. ff. d. fid. instrum. l. fin. ff. d. accusat. Nam eo ipso, dum quis delinqvit, sua voluntate se videtur obligasse pœnæ; ita, ut qui directo voluit peccare, per consequentiam & pœnam mereri voluerit; qvo sensu etiam in l. 34. ff. d. Jur. fisiæ dicitur, qvod ipsi delinquentes se pœnis subdiderint. Hoc tamen non eò trahendum est, acsi obligations ex delictis, ex consensu esse velim: Præstat enim, hasce obligations æqvitati & communi utilitati, qvæ delicta punienda esse, svaldet, adscribere. l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 9. §. 5. ff. d. public. qvàm remotum illum consensum consecutari. Frantz. Exercit. 10. Qv. 1. Unde & Justinianus obligations ex delictis, unius generis esse, afferit. Nam omnes ex re nascuntur pr. Inst. d. obligat. qvæ ex det. l. 4. ff. d. O. & A. Nam hære tantum consistunt, i. e. ipso maleficio: cum alioquin ex contractu obligations non tantum re consistant, sed etiam verbis & consensu. Vid. Disput. Lau- terbach. d. contract. in Genere d. Anno 1649. pag. m. 3. & 4.

## IV.

Contractus unilateralis est conventio, qvæ ex una tantum parte obligationem & actionem producit.

## V.

Hujus generis sunt stipulatio, mutuum, literarum obligatio, indebiti solutio, hereditatis aditio, &c.

VI. Ante-

Anteqvam verò in specie, & singulatim de his prædictis Contractibus unilateralibus agamus, notandum est, qvod *Margardus Freberus lib. 1. parerg. c. 16.* afferat, nullum omnino contractum esse unilateralem; cuj9 tamen rationes tanti momenti non sunt, ut nos à communī sententia, in novum illud assertum pertrahere possint. *Vid. dict. disp. pag. 12.* Objiciunt qvidem (1), qvod in Jure nostro non inveniatur fundata divisio in *Contractus unilaterales & bilaterales*. Sed respondeatur, qvod ex hoc ipso non statim possit talis conseqventia formari: ergo non dantur *contractus unilaterales*; siqvidem multæ divisiones Juridicæ à Doctoribus melioris doctrinæ gratia inventæ fuerint, qvæ, cum analogiæ Juris convenientes habeantur, potius retinendæ, qvām abjecendæ sunt. (2) objiciunt verba expressa definitionis *ex l. 19. ff. d. V. S.* sed respondeamus, qvod hæc lex sit saltem in telligenda de bilateralibus, non verò de contractibus ingenere. Deinde ex doctrina *Dn. Strykii in annot. ad Lauterbach. lib. 45. tit. 1. verb. Contract. p. m. 946.* distingvimus inter *modum contrahendi, & effectum obligandi*; siqvidem qvoad *modum contrahendi*, qui consistit in consensu contrahentium, etiam *contractus unilaterales* ultro citroqve obligationem pariant, non verò qvoad *effectum obligandi*. Nam qvoad *effectum obligandi*, qvidam *contractus* sunt *unilaterales*, qvidam *bilaterales*. (3) Nobis obstaculum faciunt ex vocabulo *συναλλάγματος*, qvod mutuam semper obligationem civilem involvit. *l. 7. § 2. ff. d. paci.* sed eadem responsio locum invenit, qvæ num. 2. data fuit; siqvidem in *contractibus* etiam *unilateralibus*, qvoad *modum*

dum contrahendi *συναλλαγμα* detur. (4) objiciunt, qvod vox *contractus* qvodammodo contradictionem implicet, si ab uno saltim latere obligare debeat, cum ex consensu mutuo, mutua etiam ipso Jure nascatur obligatio; sed respondeatur, qvod nulla contradic<sup>tio</sup> possit implicari ex voce *contractus*; nam in modo contrahendi mutuu respectus adest, licet effectus, vel mutua obligatio non conseqvatur.

## VII.

Recensent quidam & *donationem* inter *contractus* unilaterales; vel etiam bilaterales nominatos, consensuales & stricti Juris; de qua doctrina videri potest celeberrimus *Jctus lipiensis Dn. Gotboredus Barthius in sua disput. d. negat. Contr. unilater. de An. 1705.* sed nos hæc omnia negamus, & dicimus, qvod donatio sit pactum legitimum, per l. 35. §. 5. C. d. *donat.* Et pactum legitimum non propria vi; sed ex speciali legis auxilio actionem producit. l. 6. 7. §. 5. ff. d. *pact.* *Contractus* verò ex se & sua natura efficacem obligationem qvoad effectum agendi pariunt, absqve speciali Juris Civilis confirmatione. §. 2. *Inst. d. Oblig.* l. 1. in pr. l. 2. in pr. §. 1. ff. *Eod.* l. 7. §. 1. ff. d. *pact.* Qui verò dicunt, qvod donatio sit *contractus*, illi provocant ad l. 20. ff. *de Ju-  
diciis.* l. 17. C. d. *fide Instrument.* l. 8. C. d. *prescript.* 30. vel 40. ann. l. 7. C. de his, qua vi, ibique Brunn. Sed nos respon-  
deremus, qvod in d. l. 20. *contractus* in genere, & donatio sibi opponantur. Et in d. l. 7. differentia tantum traditur inter actum & contractum obligatorium. In d. l. 8. non dicitur, qvod donatio sit *contractus*, sed fit ibidem mentio donationis, qvia donatio est justus possidendi titulus. In d. l. 17. vocabulum *Con-*

*tra*-

*tractus*, non ad donationem, sed ad venditionem vel permutationem refertur; aut dicendum est, qvod hic in latissima significatione capiatur. Porro negamus, qvod donatio sit contractus nominatus. Habet qvi-  
dem donatio speciale nomen, sed inde non seqitur,  
qvod sit *contractus* nominatus. Neqve concedimus,  
qvod *donatio* sit *contractus consensualis*; siqvidem non  
referatur inter *contractus consensuales*. Et licet  
consensu donatoris promittentis, & donatarii acce-  
ptantis, perficiatur; indeqve competit donatario actio  
ad tradendum, donatori verò ad recipiendum res do-  
natas, si donatarius cesseret forte in auferendo, non  
tamen video; qvod eapropter donatio sit annume-  
randa *contractibus consensualibus*. Qvia autem Do-  
nator non præsumitur suum jactare, per l. 25. in pr. ff.  
d. probat; hinc dicimus, qvod sit stricti Juris. arg. l. 39.  
ff. d. pacis. Nullo autem modo statuimus, qvod sit  
*contractus bilateralis*, vid. l. 18. ff. d. donat. *Wissenb.* ad  
ff. tit. d. donat. th. 1. *Riemerum dec.* 5. *Qv. 8. n. 1.*

## VIII.

Nunc progredimur *ad stipulationem*, qvæ sine dubio  
est *contractus unilateralis*. Nam et si sunt, qvi stipula-  
tionem non tam *contractum propriè*, qvam conceptio-  
nem tantum verborum, seu solemnem formulam esse  
contendant, veluti facit *Wissenb.* ad ff. lib. 45. tit. 1. n. 3. pag.  
m. 871. & alii; disertis tamen legum verbis reselluntur.  
*Vid. §. 1. Ins. d. Obligat. l. 1. & l. 7. ff. d. O. & A. l. 9. §. 2. ff.*  
*d. Reb. Cred. l. 1. §. 2. ff. d. nov.* Sed objiciunt adver-  
farii, qvod, licet stipulatio sit *contractus*, habenda  
tamen veniat pro *contractu bilateralii* & qvidem (1),  
qvia stipulator obligat⁹ est ad implendam conditionem,

& legem stipulationis, qvæ eam format; (2), qvod  
obligetur, si non ad præstandum, certè ad accipien-  
dum, teste *Dn. Wissenb. ad Tit. d. V. S. disp. 9. §. 2. p. 47.*  
(3), qvod in stipulationibus accessoriis, uti in fide-  
jussione, mutuæ obligationis effectus magis se exe-  
rat; qvia(1) fidejussor sibi obligatum habet Credito-  
rem ad cedendum Jura & actiones. *Vid. l. 36. ff. de fide-  
juss. junct. l. 76. ff. de Solut. Carpz. p. 2. C. 17. def. 16.* (2)  
qvia, si plures fidejusserint, Creditor ab uno, reliquis  
adhuc litis contestatae tempore solvendo existentibus,  
*ex L. si contendat*, provocari potest ad respondendum  
*exceptioni divisionis*, ita, ut in contumaciam deinde se-  
cundum petitia libelli condemnetur, vel simpliciter  
exceptio confirmetur, ipsique provocanti eam com-  
petere, pronuncietur. Sed nos respondemus ad pri-  
mum dubium, qvod stipulator eapropter obligatus  
sit ad suam appositam conditionem vel conventionem,  
& legem stipulationis adimplendam, qvia hoc ab  
initio solus ita voluit, non qvod ex natura contra-  
ctus ad ejusmodi adimptionem obligatus sit. Nam  
ex nullo juris textu hoc probari potest, neqve ex  
Doctorum argumentatione ex legibus, qvod contra-  
ctus stipulationis in se & sua natura mutuam inter  
contrahentes inferat obligationem; neqve video, quo-  
modo secundum dubium nobis obstare possit, qvia  
stipulator neqve ex contractu, neqve ex quasi con-  
tractu, neqve ex delicto, neqve ex quasi delicto ad  
accipendum obstrictus est, nam, si stipulator id, qvod  
in stipulationem deduxit, invitus accipere teneatur,  
ipsi invito datur beneficium, qvod est contra Jura.  
Neqve, ut ad (3) dubium respondeamus, effectus  
mutuæ

mutuæ obligationis in accessoriis obligationibus sese  
 magis exerit, cum accessoria seqvantur naturam sui  
 Principalis; jam vero supra ostensum est, qvod per  
 naturam stipulationis, principalis stipulator non obli-  
 getur vel cogatur ad accipendum illud, qvod in stipu-  
 lationem deductum est, ergo nec in accessoriis sese  
 magis exerere potest. Neqve obstat, (4) qvod fide-  
 jussor dicatur habere creditorem sibi obligatum ad  
 cedendum Jura & actiones. Hoc enim accidit, quando  
 fidejussor ex sententia Judicis debet pro debitore prin-  
 cipali solvere, tunc enim, antequam solvat, creditor  
 obligatus est ad cedendum Jura & actiones, qvos ha-  
 bet vel contra principalem debitorem, vel etiam con-  
 tra confidejussores, ne cum damnno solventis fidejus-  
 soris lucretur. Necq; (5) aliquid ad rem facit, qvod si  
 plures fidejussores fuerint, qvibeneficiis suis non renun-  
 ciarunt, unus, reliqvis adhuc litis cont. tempore,  
 solvendo existentibus, creditorem ex *L. si contendat*, ad  
 respondendum exceptioni divisionis provocare possit,  
 ita, ut in contumaciam deinde secundum petita libelli  
 condemnetur, vel simpliciter exceptio confirmetur,  
 ipsique provocanti, eam competere, pronuncietur.  
 Nam hoc non provenit ex mutua obligatione, qvæ  
 inter stipulatorem & promittentem intercedit; sed ex  
 natura & affectibus hujus provocationis, qvæ ex *L. si*  
*contendat*, instituitur, siquidem & contra alium, qui  
 nullo modo mihi obligatus est, sed sese tantum jactat  
 meum creditorem & actionem minatur, cum tamen  
 ipsi ante multum temporis spatium jam solverim,  
 qvod debui, ex *L. si contendat*, in judicium provocare  
 possim, ut exceptioni solutionis respondeat.

IX. Se-

Sqvifur *mutuum*, in qvo debitorem creditor, non hunc illi ad aliquid præstandum obligari, communiter traditur; & sic mutuum esse contractum unilaterale, affirmamus. Sunt autem alii, qui hunc contractum volunt esse bilaterale, ita scilicet, ut debitori in consequentiam adversus creditorem actionem concedant pro conseqvendo eo, qvod occasione istius contractus, interest, et si non semper principaliter, per se & directò; attamen qvandoqve minus principaliter & ex accidenti. Primum exemplum ponunt in Evictione. Dicunt enim, creditorem debitori de evictione, re evicta, & de omni damno & interesse teneri, & qvidem directo, & ex natura hujus contractus. Nam, qvia substantia mutui in datione, h. e. in Domini translatione consistit, arg. §. 14. Inst. d. aet. & hoc in re aliena creditor non habet, eamqve tradendo contractui minimè satisfacit, putant, creditorem à debitore de omni damno emergente, & lucro cessante, conveniri posse. Enimvero respondemus, qvod hæc omnia, qva de evictione ita dicta sunt, propriè ad contractum emtionis & venditionis pertineant, siqvidem in hoc contractu emtionis & venditionis evictio sit de ejusdem natura; non verò pertinet evictio ad mutuum. Nam in mutuo per dationem statim transfertur dominium; si vero res aliena mutuo detur, non subficit mutuum. l. 12. in fin. ff. d. Reb. cred. Et si b. f. consumpta est res aliena, datur creditori condic̄io, l. 11. in fin. l. 12. in fin. l. 13. in pr. ff. d. rebus cred. Secundum exemplum, illi, qui *mutuum* non dicunt esse contractum unilaterale, fundant in falsa & reprobata moneta,

moneta, vel in mercibus prohibitis, ubi debitori, qualitatem pecuniae aliarumq; mercium creditarum ignorantis, & bona fide accipienti, actionem dant contra creditorem hujus qualitatis conscientium, si scilicet debitor propter illam pecuniam falsam, pœnâ carceris, pecuniariâ aut corporali puniatur. Sed non video, cur exinde mutuarius possit actionem ex mutuo contra suum creditorem habere; Nam potius habebit implorationem officii Judicis, vel actionem in factum, quod à creditore tam malitiosè seductus fuerit. *Tertium exemplum*, ubi debitor creditorem convenire possit, in hoc casu esse volunt; quando scil. creditor, elapsa solutionis termino, debitum sine justa causa recipere differt: tunc enim creditorem per indirectum ad acceptandum debitum, aut amissionem usurarum, aut ad Sortis periculum suscipiendum, cogi posse, afferunt. *vid. l. 72. in pr. ff. d. solut. Carpz. lib 5. Rep. 99. & Rep. 100. n. 7. & 11.* vel posse creditorem prius legitimè citari ad videndum deponi, ut ita cursus usurarum sistatur, & debitor periculo sortis vel alterius rei subducatur. *vid. l. 9. C. d. solut. l. 19. C. d. usur.* *Enim* verò nec hoc exemplum tertium, contractum mutui facit bilateralē. *Tenetur* quidem creditor rem mutuò datam in genere recipere; quinimò & citari potest ad videndum deponi pecuniam mutuò datam, ut cursus usurarum sistatur, & debitor periculo sortis, vel rei alterius subducatur; sed hoc non provenit ex speciali quadam actione directa vel contraria, quæ debitori contra creditorem propter mutuum competit; sed solummodo ex sola illa obligatione unilaterali, quâ debitor constringitur ad rem mutuò datam, ingenera

restituendam, & ne mora creditoris, quam in accipi-  
 endo committit, ipsi commodo, & debitor sit incom-  
 modo. Si enim debitor ex contractu mutui vellet  
 jactare actionem contra creditorem, illa vel directa  
 esset, vel contraria. Jam vero nulla talis actio vel ex lege,  
 vel ex mente legis vel ex argumentatione Doctorum  
 datur; ergo nulla quoque praesupponitur obligatio,  
 quae talis actionis fundamentum existit. Deinde no-  
 tum est, quod actio ex mutuo sit stricti Juris; Si vero  
 hic contractus esset bilateralis, sequeretur, quod & actio  
 ex mutuo bonae fidei esset; cum hoc sit proprium con-  
 tractuum bilateralium, ut habeant actiones bonae  
 fidei. *Vid. Mylii nucleus Inst. ad §. 28. Inst. d. action. lit. 99.*  
 Jam vero actio ex mutuo non est bonae fidei, sed stri-  
 cti Juris; ergo sequitur, quod & mutuum non sit  
 contractus bilateralis. *Quartum exemplum* in eo volunt  
 esse positum; quando dicunt, quod creditor invitus  
 possit a debitore per Judicem in processu concursus  
 creditorum, ad liquidandum citari. Nam responde-  
 mus, quod hic modus procedendi non veniat ex con-  
 tractu mutui; sed illud tantum intenditur, quod de-  
 bitor, qui forte partem sortis, aut usuras quasdam  
 solvit, & jam bonis suis cessis creditori vult satisfacere,  
 ideo curet citari creditorem ad liquidandum, quo so-  
 lutam quantitatem sui debiti tam quoad sortem, quam  
 quoad usuras possit expiscari, & Judici certam fa-  
 cere. Et ad ejusmodi liquidationem faciendam cre-  
 ditor per officium Judicis implorati, non vero per  
 obligationem ex contractu mutui ortam, adigitur.  
 Nec obstat, quod edictaliter citati & contumaciter  
 emanentes creditores pro exclusis habeantur ab illo

con-

(11)(2)

concurſu ; nam respondemus , qvod illa exclusio non  
descendat ex mutuo Jure , qvod habet debitor adver-  
ſus creditorem ; ſed ex forma proceſſu , qvi silentium  
illi imponit , qvi debito tempore credita ſua non liqui-  
da facit . Nec obſtat porro , qvod debitor , elapſo  
termino ſolutionis , invito creditori debitum juxta l. 8.  
§. 6. ff. d. transact. & §. 14. Inſt. d. legar. præſentare , & ante  
terminum ſolutionis , detracto priuſ interuſurio arg.  
§. 33. Inſt. d. adū offerre poſſit ; Nam respondemus ,  
qvod in Jure favor liberationis major ſit , qvām obli-  
gationis ; hinc debitor invitus non poſteſt à creditore  
obligatus detineri , ſi ſeſe liberare velit per ſolutionem :  
Qvapropter & illa ; qvod nempe dies per l. 17. ff. d. R. 7. l. 70.  
& 72. pr. ff. d. ſolut. l. 50. ff. d. O. & A. l. 38. §. 16 ff. d. V. O. l. 137.  
§. 2. ff. d. V. O. in dubio magis pro debitore , qvām pro  
creditore adjectus ceneatur , hic faciunt loco respon-  
ſionis : minimè autem inde elicimus , qvod creditor  
& per mutuum debitori ita obligatus ſit ut ex obli-  
gatione mutua teneatur ſolutionem recipere ; Sed po-  
tius favori liberationis illud adſcribimus , ut creditor  
invitus ante terminum ſolutionis teneatur ſolutionem  
acceptare .

X.

Eandem fermē contradictionem , qvæ in §. nono  
ratione mutui habuimus , & hic ſentimus , qvando  
aliqvi volunt afferere , qvod & literarum obligatio  
ſit contractus bilateralis , & qvidem ex hac ratione ,  
qvia debitor ex L. ſi contendat , poſteſt provocare  
creditem ante lapsum biennii , ut respondeat ad ex-  
ceptionem non numeratae pecuniæ . Putant autem ,  
hoc evenire ex mutua illa obligatione , qvæ ratione

literarum obligationis, inter creditorem & debitorem intercedere debet; sed valde in hoc erratnr; nam, qvod instituta provocatio ex L. si contendat, creditor teneatur respondere, illud profluit ex forma hujus provocacionis intrinseca & extrinseca; nam notum est, qvod remedium ex L. si contendat, sit remedium exceptionum, ad qvas provocatus respondere tenetur. Qvod autem haec provocatio plerumque ante lapsum biennii instituatur, respicit singulare illud Jus, qvod habet exceptio non numerata pecuniæ, si ante biennum proponatur: Nam eo ipso dicitur privilegiata, & transfert onus probandi in adversarium. Magnum itaque errorem illi committunt, qui volunt & affirmant, creditorem, ex L. si contendat, provocatum, teneri respondere ex mutua obligatione, qvæ literarum obligatione, tanquam contractu bilateralı nitatur.

## XI.

Deinde nec hoc concedendum est, qvod contractus innominatos velint venditare pro contractibus bilateralibus. Qvod enim omnes contractus innominati pro unilateralibus habeantur, docetur apud *Eckolatum in comp. ff. lib. 12. tit. 1. §. 4.* Qui autem ipsos pro bilateralibus habent, provocant *ad l. s. in pr. ff. d. Cond. caus. dat. caus. non fec.* ubi dans, si re non amplius integrum pœnitendo datum condicat, ad indemnitatris præstationem accipienti obstrictus est. Unde dicunt, hanc actionem à præexistente obligatione mutua, ut ut inæquali, provenire. Sed respondemus, qvod hoc fundamentum sit erroneum: nam, quando contractus innominatus perfectus & consummatus est, ita, ut unus dederit; alter vero præstiterit, vel etiam dederit, tunc obligatio jam extincta

extincta est; hinc, qvando in prædicto casu dans ad indemnitas præstationem tenetur, tunc hoc non proficitur ex mutua qvadam obligatione, qvippe qvæ jam extincta est; sed actio illa in factum, qvæ datur ex d. l. s. ad indemnitas præstationem, beneficio legis competit. Neqve nobis contrariatur l. s. ff. d. P. V. ex qva evincunt, qvod nullus detur contractus innominatus, qvi non ad utrumqve contrahentium simul obligandum tendat. Nam hæc legis dispositio non loquitur de ejusmodi mutua obligatione qvæ ex contrâctu bilateralí provenit; sed id tantummodo docet, qvod, qvemadmodum accipiens obligatur ex contractu innominato ad præstandum, ita & dans, ad illud, qvod præstatur, iterum acceptandum, qvò contractus consumetur.

## XII.

Nec desunt, qvi hereditatis aditionem inter contractus bilaterales referunt, sed iterum ex errore principio; id qvod in seqventibus demonstrabitur. Nam, qvod hereditatis aditio pro contractu unilaterali habetur, ex hōc per legem satis præsumitur, qvod heres adeundo hereditatem, se creditoribus, legatariis & fideicommissariis ad exsolendum aes alienum & præstandum legata ac fideicomissa obliget, non autem hi ipsi obligentur heredi. Nec obstat, qvod aliqui, inter qvos præcipuus est Bacovius in *Comment. ad Inst. lib. 3. tit. 28. §. 4.* afferant, heredem non ex qvafsi, sed vero contractu creditoribus hereditariis obligari, qvia noucum herede, sed defuncto verè contraxerunt: siqvidem contraria opinio sit verior, propter *text. express.* in §. 5. Inst. d. *Obligat qva quasi ex contr. l. 3. §. ult. l. 4. ff.*

qvib. ex caus. in possess. Deinde heres non ex se & pro  
 sua persona, extra qualitatem hereditariam confide-  
 rata creditori obligatur; sed ut solus heres, namq[ue]  
 tenuis adenndo hereditatem, repræsentat defunctum,  
 qvasi cum creditoribus contraxisse, & se ad idem debi-  
 tum obligasse censemur. Unde est, qvod nec liberi  
 (tametsi sui ipso Jure Parentum heredes sint, §. 2. Inst.  
 d. hered. qualit. & differ. l. 11. ff. d. liber. & possib.) qvà tales  
 ob Parentum debita conveniri possint, nisi actor in  
 qvasi contractu, scil. immixtione hereditatis sese fun-  
 det, eamq[ue] probet. Vid. l. 3. §. f. & l. 4. ff. Quibus ex  
 caus. in poss. Non enim seqvitur, filius est; ergo æs  
 patris alienum solvere tenetur; sed tunc demum, si  
 hereditati paternæ se immiscuerit: qvod, cum facti  
 sit, à creditoribus probandum est. Vid. Bacchov. in Com-  
 ment. ad Inst. lib. 2. tit. 19. §. 2. His ita præmissis, nunc  
 porro qværimus; an hereditatis aditio possit haberi  
 pro contractu bilateralis. Qvod anteā negavimus.  
 Dicunt qvidem adversarii, qvod heres omnes eas ex-  
 ceptions creditoribus objicere possit, qvas habuit  
 defunctus, utputa solutionis, compensationis, non  
 adimpti contractus; & qvod actione contraria & re-  
 conventionis judicio cum creditoribus experiri possit;  
 sed respondemus, qvod hæc Jura heredi non eapropter  
 competent, qvod creditores hereditarii ipsi ex mutua  
 qvadam obligatione teneantur; sed qvia repræsentat  
 personam defuncti, & nomine ipsius his exceptionibus  
 utitur. Nec obstat, qvod heres putativus, ex-  
 penses bona fide in monumentum & honorem defun-  
 ti factas, à vero herede, vel fideicommissario, doli  
 exceptione, vel retentione, aut actione negot. gest.  
 repe-

repetere possit, Vid. l. 50. §. 1. ff. d. H. P. junc. l. 31. in pr. & §. 3. ff. eod. Et pretium eorum, qvæ hereditatis causa comparavit, restituere ei fideicommissarius vel legatarius teneatur. l. 20. in pr. ff. eod. Siqvidem hæc, putativo heredi competentia & jam nominata Jura non inmutuæ cuidam obligationi adscribantur, qva mediante vel verus heres, vel fideicommissarius & legatarius Ipsi tenentur, sed, qvia dolus nemini patrocinari, & nemo cum alterius damno lucrari debet: neqve iura permittunt, ut negotiorum gestor ex utili sua negotiorum gestione damnum sentiat. Hinc concludimus, qvod heres adeundo hereditatem, sibi credidores hereditarios, fideicommissarios, vel legatarios, ex mutua obligatione non obstrictos habeat.

## XIII.

Tandem qvoque aliqui reperiuntur, qui affirmant, qvod *solutio indebiti* sit contractus bilateralis. Utuntur hoc argumento, qvod creditori, qui aliquid indebet accepit, nonnunquam contraria detur actio pro consequendo eo, qvod illi occasione indebet soluti abest, per l. 13. §. 2. ff. *commod.* veluti, si pecunia, qvam bona fide accepit, anteä incio creditore, & non nesciente debitore reprobata fuerit, & ipse propterea aliquam incurrit pœnam; qvo casu dicunt, debitorem creditori ad interesse obligari. Enimverò hæc obligatio non est mutua; neqve descendit ex solutione indebiti, tanquam contractu bilateralis; sed habet creditor actio nem in factum ob interesse suum, qvod ipsi occasione hujus contractus unilateralis nascitur. Neqve obstat porro, qvod creditor, si ipsi res fungibilis indebet in solutum data fuerit, & ipse sumptus necessarios vel utilles

les in eam fecerit, illam tamdiu retinere possit, donec  
 hi restituti fuerint; neque obstat, qvod jure actionis  
 tales sumptus repetere queat; siqvidem hæc omnia ita  
 sese habeant non propter mutuam obligationem, sed,  
 qvia ille, qui bona fide rem fungibilem indebitè acci-  
 pit, tanquam bonæ fidei possessor necessarios & utiles  
 sumptus deducit. Nam illud exemplum, qvod ex l.  
 26. §. 12. ff. de condic. ind. & l. 25. ff. d. pign. act. allegant,  
 nil facit ad rhombum; siqvidem, qvando creditor ser-  
 vum alienum in certo artificio ita informari curavit,  
 ut inde pretiosior factus sit, Dominus servi, qui for-  
 tean illum servum pignori dederat, ob id teneatur,  
 qvia aestimationem servi pretiosioris facti alias cum  
 alieno damno lucraretur; qvod est contra Jura. Qvò  
 etiam pertinet, qvando ex arg. l. 18. §. 2. ff. commod. ob-  
 jiciunt, qvod dominus teneatur, si creditor in morbum  
 servi aliquid impenderit; vel aliquis rem ab evincente  
 transfigvendo redemcrit. arg. l. 28. ff. d. pignor. act. Nam  
 hæc omnia non arguunt mutuam obligationem inter  
 creditorem & debitorem ob indebiti solutionem, vel  
 acceptationem; sed qvia iniqvum est, velle cum  
 alterius incommodo & injuria  
 locupletari.

T A N T U M.



(x228 2796)

ULB Halle  
005 372 038

3






Pr. 12. num. 24.

1708, 8

16

B.I.G.

Farbkarte #13



DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA,  
DE  
AFFIRMATIONE  
CONTRACTUUM  
UNILATERALIUM,  
Qvam  
In Academia Gryphiswaldensi,  
& qvidem  
In Auditorio Majori,

Die Augusti, Anno 1708.

Sub PRÆSIDIO

D. JOHANNIS SCHACKII,

Professoris Juris Ordinarii, Consistorii Ecclesiastici  
Assessoris & h. t. DECANI,

publicè defendet,

JOHANNES HENRICUS WINEKE,

Levino-Mecklenburgicus.

GRYPHISWALDIE,  
Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Acad. Typogr.

